



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Conradi Oigenii J. C. Dissertatio De Primariis Precibus  
Imperialibus**

**Corradini, Pietro Marcellino**

**Friburgi Brisgoiae, 1707**

II. Scriptionis occasio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63022](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63022)

PRIMARIÆ PRECES  
IMPERIALES SINE SPECIA-  
LI INDULTO APOSTOLICO  
NULLÆ.

DISSERTATIO.

**S**ANCTISSIMI Ecclesiæ Episcopi,  
atque etiam simplices Clerici , qui-  
bus cordi fuit rem Ecclesiasticam ,  
& Sacerdotalem libertatem sartam tectam  
servare , factis aut scriptis sæculares Po-  
testates , jura electionum canonicarum  
occupantes , vel in designandis Sacerdo-  
tibus & Clericis , sacrorum officiis in-  
servituros se immiscentes , avertere con-  
sueverunt , ut ita & Catholici Principes  
re melius perpensa resipiscerent , & Præ-  
sules , universique Ecclesiastici ordines  
edocti , Jura , quæ Christi sunt , lædi ,  
& Ecclesiæ libertatem divelli pro virili  
sua impedire niterentur : neque solum  
Imperialibus edictis & jussis , verum &  
ceteris Principibus malo exemplo ad si-  
milia & majora perpetranda excitatis sa-  
cerdotale pectus opponerent , ac liberta-  
tem suam & suarum Ecclesiarum pro vi-  
ribus suis vindicarent .

Hinc ego qualiscumque à pluribus an-

A

I.  
Ecclesiastis ;  
corum est sua  
jura cueri .

II.  
Scriptioris  
occasio,

2 De primariis Precibus Imperialibus  
nis Clericali militiae adscriptus cum non  
ita dudum ex Novellis, ut vocant, apud  
Batavos typis impressis, intellexerim,  
Augustissimum Imperatorem, nuper tan-  
ta pietatis expectatione, à gloriosissimis  
Majoribus suis in hereditatem acceptæ,  
& heroica educatione contractæ, inau-  
guratum, in id adduci potuisse, ut Epis-  
copis, Capitulis, & Ordinariis Collato-  
ribus quibuscumque per totam Germa-  
niam constitutis scripto præciperet Digni-  
tates Ecclesiasticas, Canonicatus, & Be-  
neficia conferenda certis Personis ab eo  
nominatis, (quæ Diplomata Imperialia,  
Germani vocant *Primarias Preces*, si ta-  
men *Preces* dicendæ sunt, quæ violentis  
præceptis, minis, & pœnis miscentur),  
à Sanctissimo Romanæ, & Universalis  
Ecclesiæ Antistite CLEMENTE XI.  
Ovium & Ecclesiarum ei creditarum ca-  
nonicam & veterem libertatem minus  
recte violatam deprecari, mihi in ani-  
mo constitui, non licere arbitratus Au-  
gustissimo Imperatori & Sedis Apostoli-  
cæ Advocato sine Indulto Pontificio eas  
Preces sibi attribuere: & ratus spectare  
ad Inlyta Germaniæ Capitula suam &  
Ecclesiæ Romanæ libertatem vindicare.  
Quapropter non levem Ordini Ecclesia-  
stico, cui nomen dedi, utilitatem me

allaturum putavi , si Clericis omnibus , & præcipue religiosissimis Germanis explicarem , quid hæ *Preces Imperiales* continent ; qua de re fuerint inventæ ; qua ætate & occasione ; quinam earum usus à multo tempore , & cui rationi , & potestati eæ nitantur ; ut ita intelligent omnes , has Preces sine potestate Pontificia nullius omnino roboris , & momenti esse ; immo eos , qui illis obsequuntur graviter falli , præsertim Summo Pontifice reclamante , easque adversari sacris Canonibus , Oecumenicis Conciliis , Concordatis , & Ecclesiasticæ libertati , ut potè quæ subsunt Decreto septimæ Synodi generalis , quod inferius expōnam.

Ut certa pateat injuria , quæ fit Ecclesiasticis titulis , tenorem Primariorum Precum nuper Ordinariis Collatoribus directarum jam referam. Pervenerunt ad me exempla Primarum Precum directarum per Augustissimum Imperatorem inclyto Capitulo Hildesheimensi , quæ in hunc modum conceptæ fuerunt : *Josephus Divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus &c. Honabilibus Devotis nostris , & Sacri Imperii fidelibus dilectis N. Decano seniori , & Capitulo Ecclesia Cathedralis Hildeshei-*

## III.

Primariæ

Preces Augu-  
stissimi Impe-  
ratoris sine  
indulto Apo-  
stolico.